





23

19

SPECIMEN  
DISQUISITIONIS JURIDICÆ INAUGURALIS  
CONTINENS GENERALIA PRINCIPIA  
DE 1775  
DEFINITIONE  
ET NATURA DOMINII  
ET SPECIEBUS JURIIUM IN RE.


---

9-63.

QUAM  
DEO PROPITI  
PRÆSIDE  
FRIDERICO GOTHOFREDO  
J.A.F. SCHLEGTENDAL  
JUR. DOCT. ET PROFESS. PUBL. ORDIN.  
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE  
HONORIBUS DOCTORALIBUS  
RITE AC MORE MAJORUM  
CONSEQUENDIS  
PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTET  
JOANNES CONRADUS VAN DEN VAERO  
VENLONENSIS

---

DIE IX. MENS. MAJI A. MDCCLXXV.




DUISBURGI AC RHENUM  
EX OFFICINA FR. AD. BENTHON, ACAD. TYPOGR.




DE SPECIBUS JURUM IN RE  
ET NATURA DOMINII  
DEFINITIONE  
DE  
CONTINENS GENERALIA PRINCIPIA  
DISPOSITIONIS JURIDICE INANGULARIS  
SPECIMEN

JOHANNES CONRADUS VAN DEN VAERD  
PUBLICUS DISQUISITIONIS SUMMITTET  
CONSULET INDI  
HONORABILIS BOETORARIUS  
PRO SE MARE IN DISCOGUE JUR  
JURISDOT ET POCORE VUL ORDIN  
LIT-SCHEITENDAL  
FRIDERICO GOTHORREDO  
P R E S I D E  
DEO SVBICIT

DIE XI MENS MAJ A MDCCXXV  
EX OFFICINA S. AD. BENTON, Acad. Bracc





SPECIMEN  
DISQUISITIONIS JURIDICÆ INAUGURALIS  
CONTINENS GENERALIA PRINCIPIA  
DE  
DEFINITIONE ET NATURA DOMINII  
ET SPECIEBUS JURIIUM IN RE.

---



§. I.

Nihil magis vulgare est, quam rerum in quotidiano usu occurrentium naturam ignorari & de illa disceptari. Videtur hoc inde maxime oriri, quia in his ea, quæ rei naturam & substantiam constituunt, sub involucro aliarum huc non pertinentium at in singulis tamen speciebus se nobis offerentium circumstantiarum occultantur. Accedit, quod cum genera rerum multa adeo sub se

A

son:

contineant, ea admodum multiformia sint, & modo sub hac modo sub illa specie nobis adpareant, & modo hunc modo illum effectum producant vel non producant; unde quid illud sit, quod substantiam rei constituit, incertum manet.

§. II.

Locum hæc sibi etiam vindicant in dominio, de cujus definitione & differentia ab aliis juribus in re tam inter Juris Naturalis quam civilis prudentes non convenit. Universam quidem hanc materiam exhaurire, excederet dissertationis Academicæ modum. Prima Capita ergo distinctionis hujus paucis tantum evolvere constituimus.

§. III.

Quia vero rei natura non nisi ejus primis originibus consideratis perspicere potest, hinc omnino opus erit in tractatione de dominio, quædam etiam de aliis juribus in re proponere.

Definitio juris in re a GROTIO proposita satis accurata est, eaque simul ab HUBERO contra objectiones FELTMANNI in tractatu de jure in re & ad rem defensa fuit.

Species juris in re quidam unicam tantum nempe dominium constituunt, & ut nobis quidem videtur, non omnino injuria; Primo enim in Legibus & scriptis jure consulum Romanorum ita late immo aliquando ad-

adhuc lätius hæc vox accipitur. Sic enim in *L. III. D. si usufr. pet.* & in *L. VIII. D. de rebus Auctor. jud. possid.* usufructuarius vocatur dominus usufructus, & hinc etiam putarem explicandam esse *L. IV. D. de usufructu*, quando in illa Paulus usufructum partem dominii esse affirmat, scil. non intuitu proprie & stricte dicti domini sed intuitu ipsius fructuarii, quasi partem patrimonii dixisset; hæc enim explicatio magis placet ac illa, quam Ill. NoODR in *Tr. de Usufr. Lib. I. Cap. I.* proponit, etsi alias consuetanea ejus sint verissima, non tamen ex hoc fundamento; Neque enim in aliis textibus usufructus pars dominii sed pars rei vocatur; unde nullo modo hic textus ad probandum usufructum causalem allegari potest. Sed hæc in transitu.

Amplius dominium videtur pro omni jure in re accipi, quando de modis acquirendi dominii agitur, saltem quatenus natura rei id patitur, quod in modis acquirendi originariis secus se habet. Jure Naturali quidem in modis acquirendi derivativis inter dominium stricte dictum & alia jura in re nulla plane videtur adesse differentia; Sed Jure Civili Romano olim hæc ad solum dominium stricte dictum & res corporales pertinuisse videntur. Deinceps vero servitutes plenissime rebus corporalibus æquiparatae fuerunt, adeoque jure novo Romano dominium in hoc capite reliqua jura in re comprehendit.

Neque minus divisio domini in plenum & minus plenum non quidem jure Romano atque Germanico maxime in feudis non ad solum dominium restringitur, sed etiam ad reliqua jura in re, immo quod magis est ad ipsas obligationes extenditur: quod ultimum tamen probat, hanc divisionem non ad sola jura in re sed magis ad omnia jura pertinere; adeoque hoc argumentum non æque valet ac præcedens,

Addi forsitan posset, quod præterque definitiones domini ad omnia jura in re fere applicari possint, sed hoc argumento non alias uti licet, quam si ipsæ hæ definitiones recte se habent,

§. IV.

Quamvis ergo hanc sententiam non omnino fundamento destituta censeamus: non tamen ideo illos reprehendendos putamus, qui plures jurium in re species adesse statuunt. Immo si proprie loqui velis, illi nobis rectius sentire videntur. Certe enim negari nequit, ex singulis singulares & a se invicem diversas actiones nasci; Præterea in quibusdam utique diversæ sunt earum qualitates, immo ut putamus, in sequentibus visuri sumus non omnino utilitate hanc distinctionem esse destitutam. Videntur autem species jurium in re sequentes commodissime constitui. 1. Dominium proprie dictum, sub quo dominium Prætorium & utile seu quasi dominium comprehendimus, aut has species separatim addendas esse censemus.



femus. 2. Jus hereditarium 3. servitutem 4. pignus q.  
possessionem,

Addunt quidam jus dotium, Emphyteusin, feudum,  
superficiem, & fortasse jure Germanico etiam alia: ve-  
rum hæc aut ad dominium verum aut utile aut ad servi-  
tutes referenda esse, postea videbimus. Omnino autem  
Jus hereditarium a dominio separandum est; Neque enim  
illud tanquam ex variis juribus mixtum ad præcipuum ex  
illis nempe dominium referri potest; quia ex jure here-  
ditario non rei vindicatio sed alia actio realis nempe he-  
reditatis petitio nascitur, quæ a rei vindicatione tam ra-  
tione ejus, cui datur, quam illius, adversus quem concedi-  
tur, quam maxime est diversa; unde ipsam hanc com-  
mixturem jus novum & separatum inducere, omnino  
est dicendum; hinc etiam opponi non potest, nullum  
novum & separatum a reliquis jus in hereditate inveniri.

§. V.

Ut autem penitus has cosas neque alias dari juris  
in re species intelligamus, sequens illarum delineatio ju-  
vabit. Scil. jus in re concipi potest aut in universitate  
aliqua rerum & jurium, aut in re aliqua singulari corpo-  
rali. Prius est, quod juris hereditarii nomine venit; in re  
singulari constitutum jus aut est principale vel saltem fere  
tale de quo statim, aut minus principale: illud domini  
nomine venit; hoc aut in utilitate quadam accessoria, aut

in securitate in illa re ratione debiti constituta, vel tandem in detentione illius consistit, unde Jura servitutis, pignoris & possessionis nascuntur.

§. VI.

Ex hac delineatione simul constat, non plures fingi posse jurium in re species, quia plures in hac delineatione locum non inveniunt, id quod tamen ex accuratiore investigatione naturæ dominii adhuc magis adparebit.

Ex eadem patet possessionem & quidem non solum bonæ fidei sed qualemcunque omnino juribus in re accensendam esse, quia etiam detentori cuicumque, qui rem suo nomine detinere intendit, jus ipsi rei inhærens concessum est, unde, non ex titulo remedia retinendæ possessionis nascuntur vid. *L. I. §. ult. L. II. D. uti possid.* scilicet quamdiu verus dominus, aut is cui jura domini concessa sunt, non supervenit; nihil enim impedit jus aliquod ipsam rem adficere, & tamen non ultra, quam usque dum potior supervenit, locum invenire. Reliqua ad hoc argumentum pertinentia, ne nimis late tractatio evagetur, prætermittimus.

§. VII.

Hæc ergo de juribus in re generatim monuisse sufficiat, jam de dominio singulatim quædam erunt dicenda.

Definitio ejus in Jure Naturali & Civili eadem est, & ex natura ipsius rei derivanda.

Ex

Ex statim proposita delineatione sequitur, illud definiendum esse, quod sit jus præcipuum alicui competens in re corporali. Colligitur inde, si pluribus in eodem corpore jus sit constitutum, investigandum esse, cui jus principale, & cui jura accessoria sint tribuenda; ita ut ille dominium, hic aliud jus in re sibi vindicare queat.

Neque vere semper hic certum est, quodnam jus principale, quodnam accessorium sit habendum; cujus quæstionis argumenta quædam in sequentibus recensebimus.

§. VIII.

Effectus domini dividendi possunt in generales & speciales. Generalis effectus domini est, quod domini sint omnia jura in re sua, de quibus non in specie contrarium potest probari; cujus enim est principale, ejus etiam sunt omnia accessoria, quatenus ea speciatim alii non sunt concessa, & principale jus tanquam genus omnes sub se continet species non exceptas. Maxima hic est differentia inter dominium & reliqua jura in re; hæc enim tanquam accessoria & specialia nihil aliud continent, quam quod sub illis comprehensum ostendi potest. Plures lites ex hoc principio decidi possunt in concursu cum eo, qui aliud jus in re habet, si uterque aliud aliquod jus sibi asserere velit: Quatenus enim hoc non sub jure accessorio continetur, aut ex illo sequitur, domino erit adjudicandum. E contrario si quis jus ali-

quod

quod in re privata exercuerit, si nemo alius aliud jus possideat, is dominus illius rei esse, illudque jure domini fecisse credendus est; nam sicuti ex origine domini constat, dominium & quidem plenissimum reliquis juribus in re prius fuit, & hæc omnia ex concessione domini orta sunt; qui ergo jus aliquod in re exercet, is aut dominus erit, aut ex concessione domini illud faciet; posterius ideo dici non potest, quia supponitur, neminem alium sibi jus aliquod vindicare, & aliquod tamen argumentum adesse oportet, cur alium potius quam hunc dominum esse dicamus, illique qui illud asserit, probatio ejus rei incumbit, quia pro illo, qui jus aliquod possidet, potior militat p. æsumtio: hinc ergo sequitur, hunc dominum esse credi, unde porro recte colligitur, eundem omnia alia jura in illa re sibi vindicare posse; si vero a duobus aut pluribus jus in aliqua re exercitum invenitur, id spectandum est, quodnam jus magis principale sit habendum; ita ut is pro Domino reputetur, & ei omnia reliqua jura excepto illo adjudicanda sint; quando autem utrumque aut proorsus aut saltē fere æquale invenitur, tunc utrique etiam jura domini erunt tribuenda, adeoque tunc in reliquis juribus exceptis his, quæ specialiter possident, æquales erunt.

§. IX.

Effectus speciales domini sunt omnes illi, qui ab aliquo in certo corpore exerceri possunt, qui omnes er-

go per §. præced. domino secundum regulam sunt tribuendi. Possunt tamen illi omnes aliquando in hac aliquando in alia specie abesse, qualescunque tandem sint; unde fere omnes minus recte ex illis dominium definiendum susceperunt; plurimi tamen nihilominus modo in hoc modo in illo effectu speciali characterem definitionis collocare mauerunt: quum vero plures effectus speciales æque principales dici possint, neutra ex his definitionibus alteri videtur præferenda. In genere de illis notari meretur, quod etsi definitio ex attributo seu consequente essentiæ, uti Philosophi nostri loqui amant, confecta ob id solum vitiosa non sit dicenda, si modo ex illa omnia reliqua, quæ rei insunt, sequantur; illa tamen, quæ essentiam rei ipsam continet, utique sit præferenda. Nam ex his attributis non ita facile ac ex ipsa substantia qualitates dominii deducuntur, & præterea illa non æque evidenter ac substantia nobis naturam dominii ob oculos ponunt, & ab alijs iuribus distinguunt.

§. X.

Ipsi effectus dominii præcipue sequentes constituentur: jus utilitatem percipiendi, jus disponendi, jus possidendi, jus vindicandi.

Primum igitur est jus utilitatem percipiendi. Omnia jura nobis ad utilitatem nostram sive veram sive imaginariam sunt concessa; eatenus ergo hoc est circumscriptio juris cujuscunque, quatenus finem illius spectamus, a que

continent omnes reliquos domini effectus speciales, & præsertim juri disponendi sæpe adeo vicinum est, ut de quibusdam dubitari possit, utrum ad dispositionem an ad utilitatis perceptionem pertineant, etiam si hanc strictius accipias; neque adeo dici etiam potest, definitionem domini vitiosam esse, quod sit jus ex certa re corporali præcipuam sive principalem utilitatem capiendi; modo tunc hanc vocem latissimo sensu accipias. Res enim sicuti Philosophis a possibilitate, si ita loqui licet, ita Jctis ex utilitate dicitur, adeoque jus præcipuum in re corporali & jus præcipuum ex re corporali utilitatem capiendi sunt Synonima.

Ad has utilitates rei strictiore sensu acceptas pertinent non modo fructus sive ordinariæ accessiones heterogeneæ, quæ ex re proveniunt: verum etiam omnes aliæ accessiones extraordinariæ sive homogeneæ sive heterogeneæ, qualescunque illæ demum fiat; veluti alluviones & similes accessiones homogeneæ, item thesaurus quatenus in illum domino fundi jus est, metalla aliæque mineralia, item utilitates minores, quæ sæpe sub nomine servitutum in perpetuum a dominio separantur. Nulla ex his omnino est necessaria; fructus rei sæpe percipit fructuarius, & tamen proprietarius est verus rei dominus; neque perceptio eorum aut jus percipiendi in futurum ad substantiam domini pertinent, quum illa tum in fiduciario tum in domino directo deficiant, qui tamen nihilominus veri sunt domini.

Ex

Ex reliquis etiam rei utilitatibus nihil est, quod non aliquando abesse, adeoque a dominio separari possit; quædam enim jura ex his exercet aliquando fiscus, quin illa aliquando etiam in privatum alienavit, v. c. alluviones & similia, item thesauros, metalla; quædam jure naturali etiam ad dominum non pertinent, quod ex veriore sententia etiam in thesauro est dicendum; tandem aliqua sæpiissime a domino, qui nihilominus dominus manet, in alium tanquam servitutes sunt alienata; ergo ex his omnibus definitio domini non est formanda. Sub nomine utilitatum quibusdam etiam veniunt, quibus vel res omnino perit, vel alienatur, vel aliquid saltem in ea immutatur, sed quum hæc magis ad dispositionem de ipso rei corpore pertineant, sub eo quoque titulo de illis libentius agemus.

§. XI.

Nonnulli vero Dominium magis dici posse censent jus alios ab usu rei excludendi; Sed ex nostra sententia hæc definitio adhuc minus admitti potest; omnia enim, quæ priori definitioni, ea multa magis huic opponi possunt. Aut enim quis alios ab usu excludere potest jure proprio aut jure alterius; sin prius, hoc non aliter poterit, quam quia & quatenus ipse habet jus utilitatem percipiendi; omne enim jus proprium est privans sive excludens alios. Sic proprietarius, ubi ususfructus est alterius, eatenus jus non habet alios excludendi sed fructuarius, adeoque non video, quid inter utilitatis perceptionem & aliorum exclu-

B 2

lio:

tionem ex jure proprio interfit, nisi quod hoc illius consequens, & hoc jus negativum illud affirmativum fit; unde ex utraque ratione illud in definiendo erit præferendum.

Quum vero etiam ex jure alterius aliquando alius quis possit excludere, veluti tanquam tutor aut procurator illius, facile adparet illi dominium nullo modo, neque etiam jus utilitatem percipiendi, utique vero jus alios excludendi tribui posse; Saltem usu loquendi, quem etiam in definitionibus negligere non licet, proprie nunquam jus positivum utique vero negativum nobis tribuitur, quod nomine alterius exercemus.

§. XII.

Alter effectus domini est jus disponendi: continet illud jus alienandi, consumendi, mutandi rem. Verum etiam hæc omnia ex causis jus alicujus præcipuum in certa re non tollentibus a dominio separari possunt, unde nec ex eo definitio domini concipienda erit, etsi longe plurimis ita visum fuerit. Non putamus quidem in pupillo jus disponendi, sed solum ejus exercitium definire. adeoque id opponi non potest. Sed magis obstat, quod fideicommissio oneratus, item maritus ratione dotis secundum Leges, ut infra videbimus, veri sunt domini, quibus tamen facultas alienandi, consumendi, in deterius mutandi negatur; immo etiam vasallo, qui tamen nihilominus utique dominus utilis est habendus.

Facul.



Facultas mutandi in melius quidem his omnibus competit, quæ tamen negatur fructuario; adeoque videri posset, saltem partem dispositionis semper penes dominum esse debere; Verum primo etiam hac facultate mutandi dominus servitutem alteri in re sua concedendo plane se abdicare potest; deinde hæc pars præcul dubio est ita exigua, ut fere pro nulla haberi queat, prætereaque idem jus etiam conductori non est denegatum, quippe cui etiam impensas utiles a domino licet repetere; fructuario enim hoc ex ea sola ratione negatum fuit, quia ejus jus forma rei etiam in melius mutata plane perit; & certe de sola mutatione in melius sine impensarum repetitione rarissime orietur controversia; impensæ autem utiles semper eatenus ab arbitrio alterius pendent, ut prohibente aliquo factæ ab eo repeti non possint, quia qui inviti negotia gessit, non habet actionem negotiorum gestorum contrariam; verum quidem est, his omnibus aliquam dispositionem scilicet limitatam non denegari; verum hæc etiam fructuario, immo omni, cui jus aliquod in re tribuitur, datur; nam quatenus jus aliquis habet, etiam habet de illo jure dispositionem, quæ ergo neutiquam solius domini est propria; Creditoris autem in pignore jus disponendi æque late se extendit, ac mariti domini fideicommissio onerati, similique dominio gaudentis, quum tamen creditor neutiquam pignoris sit dominus.

Ad hæc incommoda tollenda, & ut dispositio de ipso rei corpore character definitionis manere possit; alii

B 1

ad.

addunt limitationem, nisi lex vel dispositio hominis ob-  
stet; sed ea, quæ definitionem ingrediuntur, nullam omni-  
no exceptionem pari oportet; nam exceptione locum  
sibi vindicante, unde cognosci poterit, utrum res aliqua  
in dominio alicujus constituta sit nec ne, cum hic nulla  
nota domini amplius adsit.

§. XIII.

Exclusio aliorum a dispositione super ipso rei cor-  
pore etiam non est nota perpetua ac constans domini;  
nam etsi illa aliquando domino sit tribuenda, qui ipse ju-  
re disponendi non gaudet, v. c. fiduciario; atamen in  
eventum conditionis fideicommissi existentis utique fi-  
deicommissarius potest disponere, & a fiduciario illud non  
potest impediri, verum tantum in præsens tempus; unde  
adparet, neque fiduciario jus hoc excludendi modo illimi-  
tato concedi posse.

Præterea Creditor a debitore non potest pro arbi-  
trio excludi a dispositione super omnibus ejus bonis ma-  
xime de pignore, & quidem ex jure proprio; nam tuto-  
res, qui bona pupilli alienant, quia id nomine & ex jure  
pupilli faciunt, huc non pertinent.

Fisco etiam singulare jus tribui de rebus alie-  
nis disponendi constat ex §. *ul. inst. de usucap.* adeoque  
adversus eum domino hoc jus non datur. Amplius  
emphyteuta gaudet jure de se disponendi, & a domino  
dicitur.

directo, quo minus id faciat, impediri nequit, & tamen esse phyteuta proprie & stricte loquendo non est dominus, ut infra videbimus. Tandem etiam pars dispositionis per modum servitutis in alium non dominum transferri potest, quo casu dominus hunc ab illa dispositione non potest excludere.

§. XIV.

Jam agendum de possessione; Hæc generaliter definitur detentio rei, specialiter quatenus domino tribuitur detentio cum animo sibi habendi tanquam domino. Secundum regulam domino est jus possidendi, non tamen semper jus detentionis corporalis, quod sæpe penes alium est v. c. fructuarium, creditorem aliosque; semper quidem postulare potest, ut alter, qui detinet, ipsum tanquam dominum agnoscat, sed ex eo dominii definitio formari non potest, quia sic in definitione circulus committeretur.

§. XV.

Restat jus vindicandi, de quo fere idem, quod de jure possidendi dicendum est: jus sibi competens in re aliqua quilibet non solus dominus vindicare seu actione reali persequi potest, præterea etsi regulariter non semper tamen detentionem corporalem per illam actionem consequitur dominus, si scilicet ad illam alii jus datum fuerit; hinc vindicatio etiam non potest esse character, qui constituat definitionem dominii; si enim dicas dominium vindicare licere; idem per idem defines: Jure Civili quidem rei vindi-

vindicatio soli domino strictissimo sensu conceditur. Verum sicuti recte inde colligitur domino præcipuum Jus in re corporali competere, ita minime domini definitio ex sola rei vindicatione peti potest, quia nimis incertum foret, cui illam instituere liceat, quippe ad quod determinandum in specie dubia nullo generali principiò uti liceret, sed semper textus expressos allegare oporteret; quales vero in omnibus singularibus speciebus ne existant quidem, unde ut in pluribus omnino incertum sit, quis dominus existat, necessario consequitur. Adde ex hac nota dominium utile a reliquis juribus in re plane non distinguui, quum ut infra videbimus, domino utili non magis ac illi, cujus est quodcunque aliud jus reale, simplex vindicatio concedatur.

## §. XVI.

Ex præcedentibus sequitur, domino ex regula omnia jura in re dominio suo subiecta concessa esse; excipi tamen quasdam species, ubi ob servitutem, jus hypothecæ vel etiam possessionem aut spem domini alterius jus domini limitibus quibusdam est circumscriptum: hinc divisio domini in limitatum & illimitatum, quæ ergo ex præcedentibus satis clara est; hic tantum addi potest, limitationes illas rarissime in rebus fungibilibus, præsertim quæ servando servari non possunt, neque etiam ita frequenter in aliis mobilibus, sed magis in immobilibus constitutas observari.

## §. XVII.

Aliquando vero etiam accidit, ut ipsum domini-  
um

aium inter plures ita sit divisum, ut diversa tamen eor-  
 rum jura fiat; Hinc interpretes nostri effinxerunt divisio-  
 nem domini in plenum & minus plenum; plenum est,  
 ubi omnia jura domini penes eundem sunt, minus ple-  
 num ubi ea inter duas personas divisa inveniuntur, & ut  
 vulgo quidem ajunt, ita ut penes unum aliquid ex jure  
 disponendi item utilitatis perceptio & vindicatio, penes al-  
 terum vero aliquid ex jure disponendi constitutum sit; ve-  
 rum hæc nimis incerta, & indeterminata, quin partim  
 etiam falsa esse videntur. Nam non satis determinatum  
 est, quousque hæc jura penes utrumque constituta esse de-  
 beant; deinceps aliquando penes dominum utilem est jus  
 disponendi aliquando non, jus rem vindicandi autem ex  
 notione Juris Romani re vera est penes dominum dire-  
 ctum non utilem. Potius ergo hæc res ex ejus natura ita  
 concipienda videtur. Jus principale in re aliqua aliquis  
 exercet aut nomine proprio aut nomine alterius in suam  
 tamen utilitatem; si prius vocatur dominium plenum,  
 si posterius minus plenum: posterius ut cum Pragmati-  
 cis loquamur, distinguitur in dominium directum & utile;  
 directum est jus illius, cujus nomine alter jus principale  
 habet, utile ejus, qui jura præcipua nomine alterius ex-  
 ercet. Adparet ex his dominium directum esse verum  
 dominum, ex regula, quod quis per alium facit, ipse fecisse  
 videtur, etsi dominus utilis rem corpore detineat, adeo-  
 que jura domini utilis in rem magis in oculos incurrant.

C

Hinc

Hinc etiam domino utili in Jure Romano nunquam rei vindicatio sed sola vindicatio utilis conceditur; quæ tamen ab interpretibus abusive rei vindicatio utilis vocatur, unde nonnulli non ineleganter dominium utile jus dominio proximum vel quasi dominium vocare maluerunt.

§. XVIII.

Cætera ex dictis patet, dominum utile n, quia nomine domini directi tenet, illud factio quodam agnoscere debere; alias enim hoc nihil foret. Hæc autem facta diversi generis esse possunt, & hinc nascuntur variae domini minus pleni species; si enim illud consistat in cultura & præstatione annui canonis, erit emphyteusis; si in fidelitate aliquando & aliis quibus præstationibus erit feudum; quia inter Germanos putarem, adhuc longe plures domini utilis species usu inductas fuisse, quas hic commemorare nihil attinet. Præterea apud Germanos institutum feudale in tantum prolatum fuit, ut hanc distinctionem etiam aliis juribus in re immo & ad rem applicare oporteat. In Jure Romano neque hoc factum invenimus, neque etiam domini utilis præter emphyteusim alia existant exempla; nam superficies nobis magis ad alias species juris in re forte ad servitutem paulo plenior, quam huc referenda videtur; neque enim superficiarius in integro rei corpore sed in sola superficie jus exercet, quod longe aliter se habet in emphyteuta; unde etiam thesaurum in fundo inventum, quatenus in eum domino suadi jus est, neutquam

tiquam superficiario utique vero emphyteutæ adjudicandum censemus: ex quibus tamen non sequitur inædificatis extinguitis jus superficiarii cessare. Sic etiam alii monuerunt, prædicia censitica, quæ vocantur, in pleno censum præstantis dominio esse constituta, & jus exigentis nihil aliud esse, quam servitutem in faciendo consistentem, quales extra servitutem oneris ferendi Romanis non vero Germanis fuerunt ignotæ; neque enim is, qui censum exigat, ullum præterea jus in rem illam exercere potest. Quominus autem jura hæc & similia Germanorum in faciendo consistentia ad servitutes referamus, nihil nobis obstare videtur; etsi alii singularem in iis speciem juris in re constituent; nam sicut Philosophi ajunt, entia præter necessitatem non sunt multiplicanda. Servitus tamen census etiam illud singulare habet, quod non semper prædio sed aliquando etiam personæ attamen in perpetuum id est omnibus ejus successoribus debeatur.

§. XIX.

Jura domini utilis eadem sunt quæ domini pleni, nisi quod omnia non suo sed domini directi nomine faciât, & in quibusdam speciebus ejus jura specialiter restricta inveniantur; quod in quibusdam speciebus maxime circa dispositionem factum fuit. Jura domini directi præcipue consistunt in facto illo exigendo, per quod dominus utilis illum tanquam verum dominum agnoscere tenetur. Aliquando & alia accedunt, nempe ut dominus utilis, si contra leges sibi præscriptas agat; jure suo exci-

dat, item jus consolidationis & retractus; verum etsi primum & tertium tum in emphyteusi tum in feudo ita juris sit, secundum tamen in emphyteusi non obtinet, si alicui & omnibus ejus successoribus hoc jus concessum fuerit, adeo ut mortuo sine herede emphyteuta ad fiscum non ad dominum utilem perveniat jus emphyteuticum; neque etiam putarem primum & tertium ad substantiam domini utilis pertinere, nisi in primo casu dolo contra leges contractus aliquid fecerit dominus utilis, tunc enim perfidia alterius ex accidente solui alterius obligationem, adeoque dominum directum dominium utile tanquam a se in alterum profectum repetere posse indistincte dicendum est; contra ac in aliis præstationibus v. c. censu obtinet, ubi altero etiam dolo malo censum non præstante dominus census tamen non ad prædium consequendum sed ad censum & id quod interest agere poterit. Neque vero putarem in domino minus pleno dominum directum semper spem rei recuperandæ præ oculis habere, nisi quasdam conditiones ei rei præscripserit; quo maxime spectat, si certos successores, ad quos dominium utile tantum perveniret, designaverit.

Facile autem pater, minime singulas species domini utilis a se invicem tanquam singularia jura in re esse separandas; quum enim infinitæ ejusmodi species fingi possint, & inter Germanos quam plurimæ Romanis incognitæ fuerint inductæ, sic nullus in his enumerandis unquam finis foret.

§. XX.



§. XX.

Inter species domini etiam occurrit prætorium, unde inter dominium civile & prætorium distingui solet. Hoc etiam verum dominium dici non potest, utpote ex quo non vera rei vindicatio sed actio Publiciana & rescissoria oriuntur. Prior etiam jus tantum tribuit aliquando temporarium, si verus dominus ante usucapionem adimpletam superveniat, sed hoc naturæ domini non obstat; quia plures dantur casus, in quibus dominium tantum temporarium adest, veluti dominium mariti in dote, nec non dominium bonæ fidei possessoris in fructibus per *L. XLVIII. pr. D. de acquir. rer. Dom.* Neque enim possessorium iudicium est actio Publiciana, quia in possessorio victo non denegatur remedium petitorium adversus victorem, quod in Publiciana actione aliter se habet.

§. XXI.

Jus dotium non constituit singularem speciem juris in re, sed est verum & proprie dictum dominium. Marito ergo non datur singularis actio realis ad dotem petendam, sed intuitu rerum dotalium singularum vera & directa (nam utilis non est rei vindicatio) rei vindicatio. Probationem hujus sententiæ alii ex professo susceperunt, unde hic actum agere visum non fuit: id solum notandum, titulum usucapionis pro dote jam olim inductum maxime hoc dominium probare. Et si enim Justinianus etiam aliorum iurium in re usucapionem indu-

xerit, ante eum tamen in solo dominio stricte dicto obtinuit; adde sic dotem, quæ jus est, vix titulum esse posse. Cætera adhuc minus illis assentimur, qui jus dotium jus in re universale statuunt, quia nulla unquam actio in rem ad universitatem dotis petendam marito concessa invenitur: Est vero etiam hoc dominium temporarium quippe soluto matrimonio ad uxorem recidens, unde explicanda *L. XXX. Cod. de jur. dot.* & de ea quæstione sola intelligenda.

§. XXII.

Tandem de dominio rei fideicommissio onerata quædam dici oportet. Ejus rei solus fiduciarius verus atque plenus dominus est, antequam scilicet conditio fideicommissi existat; idemque in legato conditionali obtinet. Scilicet distinguendum hic est inter jus præsens & futurum; præsens fiduciario, futurum fideicommissario tribuendum est. Futurum autem tale intelligimus, cujus eventus adhuc saltem aliquo modo incertus est, etsi ut plurimum immo fere semper existat. Hic jus præsens semper magis principale habetur quam futurum; adeoque præsens jus fiduciarii pro vero dominio erit; unde etiam sequitur, præsentem fiduciarii dispositionem deficiente conditione fideicommissi pleno gaudere effectu; illud enim per se patet, fructus percipere solum fiduciarium. Adde Jus fideicommissarii eo minus tanquam dominium considerari posse; quia etsi fere certum sit, conditionem illam existuram, adhuc tamen ut plurimum dubium manet, cui per fideicommissum jus

jus sit acquirendum; quoniam non illi, qui tempore testamenti facti aut mortis testatoris, sed qui tempore devoluti fideicommissi seu conditionis illius existentis proximus est futurus, fideicommissum adquiritur. Unde etiam adparet, improprie hoc futurum dominium ob incertitudinem illam adpellari, aut saltem certæ personæ illud tribui non posse. Ex quibus omnibus eo magis constat, cum tamen aliquis dominus esse debeat, id fiduciario sive præfenti possessori esse tribuendum. Aliud vero omnino dicendum, si jus certi futuri possessoris omnino certum est; tunc enim præfens possessor revera tantum jure fructuarii gaudet; futurius autem vere & quidem non futurus sed præfens est dominus, unde etiam prior ex jure præfente nunquam in perpetuum potest disponere; posterior utique, etsi ad illum nunquam possessio ejus rei pervenerit,

Cætera Jure Romano jus fideicommissarium tantum ex ultima voluntate, jure naturali procul dubio etiam ex pacto oriri potest; quæ differentia ex necessitate traditionis ad transferendum inter vivos dominium derivanda est; Jure Germanico vero idem de pacto successorio non alio quolibet, quod Jure Romano de ultima voluntate erit dicendum. Dantur tamen etiam Jure Romano, & Germanico Jura futura v. c. retractus & similia, quæ ex conventionione oriuntur, & intuitu hujus effectus futuri fideicommissi prorsus sunt similia, in quibus ergo hic idem omnino obtinet,

Quum tantum generalia principia proponere animus fuerit, hic Dissertationis nostræ finis esto. Nullos fere in hoc specimine Auctores & paucissimos textus juris nominavimus, quia proprie in principiis Juris hæc fundata sunt: hæc sive indubitata sive controversa sint, allegationibus tamen illis nituntur, quæ jam ab aliis prolatae fuerunt. Auctores qui tum in tractatibus generalibus

tum

tum specialibus de hac materia egerunt, contulimus, non vero eos allegavimus, ne eos exscribendo specimen nimium excreferet.

T A N T U M.

C O R O L L A R I A.

1. *Furis Natura principium ipse Deus est.*
2. *Iustitiam in pr. Inst. de Jus. & Jure recte definitam esse, existimo.*
3. *Lex vel consuetudo irrationabilis non valet.*
4. *Pretium pro redimenda vita latroni jurato promissum est persolvendum.*
5. *Astor, qui nil probavit, reo deferre potest juramentum.*
6. *Conditio furtiva datur contra heredes in solidum, non vero pro parte, que ad eos pervenit.*
7. *Filius ob neglectam confectionem inventarii perdit legitimam.*
8. *Origo testamentorum Furi Gentium est adscribenda.*
9. *Clausula coheredarii testamento inserta non presumitur.*
10. *Inter verbis conjunctos locum habet jus accrescendi, quia sunt conjuncti juxta fundamentum L. CXLII. de Verb. Sign.*
11. *Usucapio ex equitate naturali est toleranda.*
12. *Furi luendi pignoris non prescribitur.*
13. *Donatio omnium bonorum valet.*
14. *Fur, si rupto laqueo de patibulo ceciderit, jure ad hoc suspendi potest.*
15. *Christianus bona conscientia officio Magistratus fungi potest.*







Duisburg, Diss., 1729/81(1)

ULB Halle


004 527 070

3









23

19

SPECIMEN  
DISQUISITIONIS JURIDICÆ INAUGURALIS  
CONTINENS GENERALIA PRINCIPIA  
DE 1775  
DEFINITIONE  
ET NATURA DOMINII  
ET SPECIEBUS JURIIUM IN RE.

QUAM  
DEO PROPITI  
PRÆSIDE  
FRIDERICO GOTHOFREDO  
J.A.F. SCHLEGTENDAL  
JUR. DOCT. ET PROFESS. PUBL. ORDIN.  
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE  
HONORIBUS DOCTORALIBUS  
RITE AC MORE MAJORUM  
CONSEQUENDIS  
PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTET  
JOANNES CONRADUS VAN DEN VAERO  
VENLONENSIS

DIE IX. MENS. MAJI A. MDCCLXXV.

DUISBURGI AC RHENUM  
EX OFFICINA FR. AD. BENTHON, ACAD. TYPOGR.

